



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon  
Prussiae**

**Petrus <de Dusburg>**

**Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679**

De Modo Agendi Libri Hujus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11850**

(f) In ordinem recipiebantur tantum Nobiles, & qvidem Germani. Hoc tamen disertis Verbis exprimi in Regula Ordinis non observavi. Neqve illud adeo stricte semper fuit observatum. Nam quod ad primum attinet Sigefridus à Feuchtwangen XII. Magister ordinis admisit etiam plebejos, dummodo essent integræ famæ, ut auctor est Waiselius fol. 108, & Henneb. in Comment. ad tab. Geogr. Pruss. pag. 281. Neqve posterius, quod de natione Germanica diximus, adeo religiosè observabatur, ut cognoscimus ex ipsius Dusburgii part. III. Cap. Ll. ut & Schuz. lib. I. Chron. Pruss. fol. 41. ubi de Scumando.

(g) Bladum. Barbarum est Vocabulum, notatqve semen; Sæpè & fructum arborum & vitium: Præcipue tamen frumentum. Unde imbladare est seminare. Infra Dusburgius part. III. Cap. LXIX. reddit hoc per Verbum germina. De origine Vociis bladum vid. Gerh. Johan. Vossius lib. II. de vitiis Sermonis Cap. XXIV, & lib. II. Cap. III. & Gwilhelmus Watz, in Glossario in voce Bladum & Brasnum. Sic apud Math. Parisiensem ad an. 1203. dicitur panis de toto blado p. 208. quod Watzius explicat de pane ex ipsa farina uti de molendino venit, & nondum cibrata est.

## DE MODO AGENDI LIBRI HUJUS.

**M**odus agendi in hoc libro erit iste: Primò describam, quo tempore & à quibus & quomodo incepit Ordo domus Teutonicae. Secundò quando & quomodo fratres intraverunt in terram Pruschiæ. Tertiò de bellis & aliis, quæ gesta sunt in dicta terra, (a) quorum pauca quæ vidi, alia quæ audivi ab his qui viderunt & interfuerunt, cætera quæ relatione veridica intellexi. Quartò ponam in margine Pontifices summos & Imperatores qui à tempore institutionis hujus Ordinis regnaverunt, & notabilia quædam facta, quæ ipsorum temporibus acciderunt. Sed quia insufficientem me ad hoc negotium consummandum recognosco, maximè pro eo, quod hujusmodi factum (b) penè jam

MOTU DE MODO AGENDI LIBRI HUJUS.

jam à memoria Hominum nunc viventium sit elapsum, & sine  
Deo nil facere possum.

Ideò te deprecor bone JESU in quo omnes thesauri sapi-  
entiæ & scientiæ sunt reconditi, & revelas mysteria non solum  
futura, verum & præsentia & præterita ; Illumina Spiritus tui  
gratiâ intellectum meum, & dà mihi os & sapientiam ad com-  
plendum breviter opus istud, ut omnes, qvi Signa tua magna &  
mirabilia fortia in eo contenta audierint, in te sperent, te ado-  
rent, te glorificant, & collaudent, qvod tu, ex quo omnia, per  
quem omnia, in quo omnia præstare digneris, qvi vivis & regnas  
in secula seculorum, Amen &c.

ANIMADVERSIONES.

- (a) Ex his liquidò apparet, Dusburgensem nullo antiquiore Chronicō  
esse usum ; idcirco ex his dubitari fortasse non immeritò posset, de  
scriptis illis Jaroslai Canonici Plocensis, & Christiani primi Epi-  
scopi Prussiæ, utrum illa sint genuina. Procul dubio etiam Dusbur-  
gensis Historiam Prussicam, in Prussia, scripturus, diligenter anti-  
qviora scripta inquisivit, & si tum talia exstisset, certe Ordinis  
Teutonici fratres ea ex omnibus scriniis conquisivissent, præser-  
tim cum ea, quæ Jaroslavus & Christianus scripsisse dicuntur, plu-  
rima de Idololatria & crudelitate Veterum Prusiorum, ut ex Si-  
mone Grunovio apparet, contineant. *Vid. infrapart. 3. c. 132.*
- (b) Ne mireris itaque, Lector benevolè, si in seqventibus nos contra  
Dusburgensis relationem quædam ex antiquis Privilegiis restitu-  
re tentabimus.

(a) *Præfatio ad Institutionem Ordinis  
Domus Teutonicae.*

Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columpas septem, *Prov. 9, 1.*  
Sicut hæc verba fuerunt Salomonis, qvi filium Dei appellat  
Sapientiam Patris, juxta illud Apostoli : Ipsi autem vocatis, *Ju- 1. Cor. 1, 24.*